



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Orationibus lacvlatoriis Libri IV. Ascetici, Seu ad exercitationem spectantes

Balinghem, Antoine de

Antverpiae, 1618

Cap. VIII. Eorum quæ proximè dicta sunt de cælestium inuocatione praxis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51085)

malorum tentationúmque inuexerit peccatum, quantóque sit opus cùm animi robore tum externâ ope præsidioque ad eas perfectè, integrè, nullaque sui parte læsa afflictâque superandas.

CAPVT VIII.

Eorum quæ proximè dicta sunt de celestium inuocatione praxis.

QVAM QVAM cuiuslibet integrum est, cam ex qua maximum percipit fructum sequi rationem cælites appellandi, ne tamen cuiquam desit dux & quasi viæ index in hac tam pia mētis tamque fructuosa exercitatione, ea suggeram, quæ à sanctis viris in hoc genere factitari audio. Præter Deiparam virginem sanctissimam, Angelum custodem, patronos, quos sibi alij alios delegerunt, Diuosque quorum natalis dies in illud tempus incidit, quos omnes, singulosque eorum, quolibet die etiam frequentius breui aliquâ precatone compellant: partiuntur hebdomadæ, dies septem, hoc ferè modo.

Dominicam diem nouem assignant angelorum choris, feriam secundam Patriarcharum, prophetarum, Apostolorumque cœtibus. Tertiam martyrum purpuratis agminibus.

nibus; quartam pontificibus; quintam doctoribus, sextam confessoribus & anachoretis: Sabbathum denique virginibus sanctisque vniuersis. Neque hoc alicui videatur aut nouum aut simplicium commetum, minúve graues sapientesque viros decere, mulieribus cæterisque idiotis potiùs relinquendum; cùm ipse Bernardus vir sanè grauissimus, ac citra vllam dubitationem longè sapientissimus eam ipsam ad Diuos adeundi rationem non innuat modò; sed planè explicet atque euoluat. Cùm enim esset interpretatus verba illa de canticis, Columba mea in foraminibus petrae, in cauerna maceriae, affirmassetque angelorum custodiam vicem exhibere maceriae in vinea Domini, ita disserit. Aut si id magis probas dicemus has cauernas à studiosis & piis mentibus non inueniri sed fieri. Quonam modo inquis? cogitatione & auiditate cædit nempe in modum materiae mollioris pia maceries desiderio animæ, cædit piæ contemplationi, cædit crebrae orationi. Denique oratio iusti penetrat caelos. Non vtique aëris huius corporei spatiosas altitudines, veluti quodam remigio alarum suarum, instar volantis volucris scindet, aut quasi gladius acutus ipsius firmamenti solidum celsumque verticem perforabit: sed sunt caeli sancti, viui rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui rationabili quâ

Serm.
62. in
Cantica.

quâdam pietate nostris se votis libenter inclinant, & sinuatis ad nostræ deuotionis tactum affectibus, in sua nos recipiunt viscera, quoties digna ad eos intentione pulsamus. Pulsanti enim aperietur. Licebit itaque unicuique nostrum, etiam hoc tempore mortalitatis cauere sibi quacumque parte, volet cauernas supernæ maceria: nunc quidem Patriarchas reuisere, nunc verò salutare prophetas, nunc martyrum inseri choris, nunc senatui immisceri Apostolorum. Sed & beatarum virtutum status & mansiones à minimo angelo vsque ad Cherubim & Seraphim, totâ mentis alacritate percurrendo lustrare, prout quemque sua deuotio feret. Apud quos magis afficietur immittente sibi spiritu prout vult, si steterit & pulsauerit cõfestim aperietur ei, & factâ quasi cauernâ in montibus, vel potiùs mentibus sanctis dum se vltro inflectunt ad pietatem, requiescet vel paululum apud illos.

Facebant ergo qui huiusmodi pia exercitia atque è sanctissimorum virorum disciplina profecta, & ab iis crebrò vsurpata minuta leuiâque vocant, atque à grauioris viri sapientia, dignitatêque aliena, & tantum non supersticiosa. Ergo minutulus? ergo leuis, ergo amens, ergo supersticiosus Bernardus? ergo iisdem infames vitiis, tot præclari viri sanctitate eximij tum Sacerdotes, tum religio-

religiosi, quorum vita ferè omnis per septem
 decurrens hebdomadæ dies; hoc sacro sa-
 lutarîq; studio distinetur; Atque si tam sim-
 plicitatem exosam habent; videant ne à Deo sint alieniores, cuius sermocinatio est
 cum simplicibus, qui nec proijcit simplicem
 nec porrigit manum malignis. Intelligant
 meliorem esse pauperem qui ambulat in
 simplicitate sua, quàm diuitem (quales se
 ipsi existimant) in prauis itineribus, & tor-
 quentem labia sua & insipientem (quam-
 quam sibi admodum sapiant) Norint deni-
 que in simplicitate cordis quærendum Do-
 minum, & nihil Corinthus magis timuisse
 Apostolum, quàm ne sicut serpens deceperat
 Euam astutiâ suâ, ita & corrumpèrentur
 sensus eorum & exciderent à simplicitate,
 quæ est in Christo Iesu.

Prou.

3. 32.

Iob 8.

20.

Prou. 9.

1.

Prou.

28. 6.

Sap. 1. 1.

2. Cor.

11. 3.

CAPVT IX.

*Pro quibus fundenda sint preces
 iaculatorie.*

QUOD Apostolus obsecrat primùm om-
 nium fieri obsecrationes, orationes,
 postulationes, gratiarum actiones, pro om-
 nibus hominibus, pro regibus & omnibus
 qui in sublimitate sunt, vt quietam & tran-
 quillam vitam agamus in omni pietate &

1. ad
Tim. 2.
1.

ca-